INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXV 1865

A DIE XXIV. M. APRILIS VSQVE AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk
Emendationes [illegible]

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
EDVARDVS HEINE
CVM SENATV
S. D.

CIVIBVS SVIS.

Lucretii carmen de rerum natura cum olim plurimorum studia exercuisset, diu neglectum iacuit, donec Carolus Lachmannus ad eximii operis emendationem animum adiecit, cuius viri memoriam non sine gravissimo desiderio recolere possunt, quorum animus antiquarum litterarum germano amore imbutus est. Atque commentarii, quibus Lucretianum carmen illustravit, vel maxime egregias viri virtutes arguunt; ad praeclarum ingenii acumen et insignem iudicii subtilitatem cum accederet rara sermonis Latini peritia, qua facile omnes superabat, princeps arte et ratione criticam in hoc poemate factitavit, plurimisque locis vel codicum auctoritate vel coniectura egregie emendatis plus opis poetae attulit, quam alii omnes, qui hos libros perpetua opera recensuerunt. Non tamen recta ratione utuntur, qui viri summi, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις, auctoritati ita se addixerunt, ut omnia iam putent omnibus numeris esse absoluta nihilque superesse, quod quis agat; qui si ipsi non audent haec attingere, quoniam vires suas huius oneris non capaces esse sentiunt, non sunt improbandi, sed si ut servorum captus est, indignis opprobriis insectantur qui operam dant, ut emendatior fiat poetae summi oratio, importunum hoc hominum genus graviter castigandum est. Nam veterum scriptorum emendatio non est unius vel summi viri, sed coniunctis demum multorum studiis spes est fore, ut in integrum restituantur antiquitatis monumenta. Lachmannus autem, quamvis multa in Lucretio praeclare emendaverit, tamen alia minus prospere administravit, alia quae vitium contraxerunt plane praetermisit. Lubet igitur academicae scriptionis necessitate denuo imposita nonnulla ex adversariis depromere et breviter explicare.

Quod saepenumero in vita experimur, homines multo facilius falsis quam veris fidem habere, id hic quoque usu venit: velut quod Hieronymus memoriae prodidit, post Lucretii mortem eius carmen Ciceronem emendavisse, cum nostri homines tanquam commenticium sine idonea ratione sprevissent, ego tuitus sum in prooemio lect. Marburg. 1846/47, dixique M. Ciceronem intelligendum esse, sed protinus adversatus est Lachmannus p. 63 et ad Quintum hanc laudem referendam esse censuit, solentque haec sequi, qui non rerum momenta ponderant, sed in aliena auctoritate acquiescunt. Quis autem credat Hieronymum, hominem eruditum et olim Donati grammatici disciplina usum, cum breviter Ciceronem dicat, alium quam oratorem clarissimum intellexisse? Lachmannus dicit in re nota non opus fuisse praenomen addi: nobis quidem hoc ex unius Hieronymi testimonio innotuit: vulgo nunquam opinor haec res pervagata fuit, saeculo autem IV in tanta liberalium studiorum clade vix quisquam novit praeter grammaticos et si qui alii Lucretii carmina lectitabant, qui pauci admodum fuisse

videntur,[1]) sed hos, si hominis, cuius memoria dudum extincta erat, nomen usurpabant, non decebat tam obscura brevitate uti, atque Hieronymus haec non doctis, sed in multorum usum scripsit. At dicet aliquis, Hieronymum tantum Suetonii verba repetivisse (id quod ipse posui, vid. illam commentat. p. V. et VII.), Suetonio autem licuisse praenomen praetermittere, quoniam illud poetae emendandi negotium omnino a Marco alienum fuerit, quod quidem optime conveniat Quinto, qui ut Lachmannus dicit, in studiis poeticis satis fuerit versatus, neque a philosophia alienus, sed nulli certae disciplinae addictus. Hi velim expendant, quae Suetonii aequalis C. Plinius Silio Proculo scribit III, 15: „Petis, ut libellos tuos in secessu legam, examinem an editione sint digni, adhibes preces, adlegas exemplum: rogas enim, ut aliquid subsecivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis, adiicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse;" igitur si Marcus quoque hanc operam poetarum carminibus navavit, quam isti dictitant Quintum Lucretianis carminibus dedisse, consentaneum est, Suetonium si de Quinto Lucretiani poematis emendatore referebat, praenomen addidisse, ne legentes ambigui haererent. At Quintum hoc modo de poetis bene meritum esse, nusquam memoriae est traditum, fingunt hoc nostri homines nullo auctore:[2]) Marco hanc laudem vindicat testis locupletissimus, atque cum Silius Proculus Marci exemplo allegato persuadere vult Plinio, uti sua carmina examinet, ut mihi quidem videtur de hac ipsa Lucretiani carminis emendatione cogitavit. Marcus autem, qui neque a poesi fuit alienus et in philosophiae studio vel maxime versatus, cur minus idoneus huic officio habeatur, quam Quintus frater, nihil causae video: fuit sane Epicureorum sectae infestus, at suscepit hoc negotium haud dubie, ut iam olim significavi (p. V.) rogante Pomponio Attico. — Verum de his aliisque quaestionibus maxime grammaticis dicetur alias, in praesentia institui aliquot locos Lucretianos in integrum restituere.

III. 1060:

Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
Esse domi quem pertaesumst, subitoque revertit,
Quippe foris nilo melius qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam praecipitanter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplo, tetigit cum limina villae,
Aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,
Aut etiam properans urbem petit atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit.

Poeta ut solet saeculi sui mores verissime describere, homines notat, quibus omnia sunt fastidio, qui neque laboris neque otii sunt patientes, quos nulla res diutius moratur, itaque semper locum commutare student: in urbe cum sunt, ruris desiderio tenentur; cum peregrinantur, domesticae vitae cupido incessit. Sed in eximia illius vitii descriptione duo offen-

---

[1]) Commentarios Lucretiani carminis commemorat ipse Hieronymus Apol. in Ruf. I, p. 472, credo antiquorum, non aequalium grammaticorum; nec tamen negandum est, Lucretii poema etiam illa aetate esse lectitatum, quo poemate initio saeculi IV frequenter utitur Lactantius. Sed L. Müller de re metrica p. 398. confidenter edixit Hieronymo *Lucilii* nomen restituendum esse: Lucilii enim satiras, non Lucretii carmen magistros in puerorum ludis interpretatos esse, sed pariter hoc atque illud sine teste posuit, neque Hieronymi locum recte intellexit. Lucilii non minus atque Lucretii carmina dudum plurimis sordebant et obsoleta videbantur, sed nunquam plane deerant, qui his antiquitatis monumentis eximie delectarentur, ut vel optimos scriptores qui post secuti sunt spernerent: hinc Tacitus de orat. 23. ut hanc iudicii perversitatem, quae ipsi videbatur, perstringeret: „neminem nominabo, genus hominum nominasse contentus, ... qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt." Nihil igitur agit, qui apud Hieronymum *Lucilium* in Lucretii locum substituat. Sed vix verendum est, ne Mülleri vanitas et in iudicando levitas cuiquam sit fraudi.

[2]) Epistola a M. Cicerone ad Quintum fratrem missa nihil plane continet, quod hanc suspicionem confirmet, sed ille locus, quo Cicero fratris iudicium de Lucretii carmine commemorat, ubi recte fuerit emendatus, argumento erit, Quintum tunc, cum de poemate recens edito ad fratrem scriberet, nondum perlegisse totum carmen, sed statim ubi inchoaverit, quid sibi videretur significavisse.

dunt: nam quod legitur v. **1061**, r e v e r t i t, recedit ab optimorum scriptorum consuetudine, qui *revertitur*, sed praeterito cum opus est, *revertit*, non *reversus* est dicere solent.[3]) Atque hic quidem illud verbum omni caret auctoritate: nam codices Leidenses prorsus omittunt; in codice Monacensi recentior manus, ut versus et sententia redintegraretur, *reventat* addidit, idque vocabulum etiam in margine repetitum: sed hoc quidem latinus sermo plane ignorat: *revertit* editiones veteres exhibent ex docti alicuius viri coniectura. Marullo Lachmannus satis confidenter tribuit. Verum multo est gravior offensio, quod poeta eundem hominem, cum domum fastidiret, et peregre profectus esset, bis dixit mutato consilio subito reverti. Non credo hoc poetam ipsum commisisse, quamvis non licuerit omnia pariter limare; facili autem negotio utrumque vitium procurabimus, versu **1062** traiecto, quemadmodum saepe a librariis in hoc carmine peccatum esse constat: igitur totum locum ita conformandum existimo:

Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
Esse domi *semper* quem pertaesumst, subitoque
Currit agens mannos ad villam praecipitanter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans.
Oscitat extemplo, tetigit cum limina villae,
Aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,
Aut etiam properans urbem petit atque revisit,
Quippe foris nilo melius qui sentiat esse.

quam commode hoc versu illa descriptio terminetur, facile unusquisque intelligit: ubi autem hunc versum in suum locum restituimus, iam sua sponte bene conveniunt distracti orationis articuli, neque quod *subito* et *praecipitanter* copulavit poeta, quemquam morabitur: hoc enim itineris festinationem, illud consilium repentinum illustrat. Recte autem me *semper* addidisse, quamquam ea vocula poteramus carere, argumento est veterum librorum auctoritas: nam in Leidensibus scriptum est *esse domi per quem pertaesumst* (*pertesum sit* Quadr.), in Monac. *per quem partesumst*. Etenim in archetypo fuit: ESSE DOMI PERQVEM (SEM above PER). sed librarii, ut saepe fit, correctionem neglexerunt. Quod v. **1061**. quatuor syllabarum vocabulo i. e. ionico terminatur, monendum est Lucretium hanc hexametri clausulam saepius admisisse, velut I. v. **4**. **51**. **68**. **74**. **97**. **112**. **139**. **148**. **182**. **194**. **266**, **350**. **457**., quamquam non omnium exemplorum eadem est ratio.

Quae proxime sequuntur:

Hoc se quisque modo fugit: at quom scilicet, ut fit,
Effugere haud potis est, ingratis haeret et odit
Propterea, morbi quia causam non tenet aeger.

recte emendavit Lachmannus, *at quom* scribens, cum sit in libris *at quem* (Monac. *ad quem*, sed supra *at quod*), quam emendationem plane confirmat Seneca de tranquill. II. **12**., ubi solita ingenii luxuria usus illud ipsum fastidium plenissime describit: „Aliud ex alio iter suscipitur et spectacula spectaculis mutantur, ut ait Lucretius: *Hoc se quisque modo semper fugit*. Sed quid prodest, si non effugit? Sequitur se ipse et urget gravissimus comes." quae optime illustrant Lucretianum locum: nam *haeret et odit* non videtur tentandum esse, quamquam ista sententia poterat aliis verbis fortasse aptioribus illustrari.

IV, 414:

At conlectus aquae digitum non altior unum
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum praebet sub terras impete tanto,

---

[3]) Extat sane apud ipsum Lucretium V. 1152:

Circumretit enim vis atque iniuria quemque
Atque unde exortast ad eum plerumque revertit.

sed poeta haud dubie *revisit* scripsit, cf. v. 635: Propterea fit ut haec ad signum quodque reverti Nobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.

A terris quantum coeli patet altus hiatus.
Nubila despicere et coelum videare videre
Corpora mirande sub terras abdita coelo.

Versus novissimos, quos vitium contraxisse manifestum est, alii aliter restituere conati sunt:[4]) Lachmannus non solum versus traiecit, sed etiam alia molitus est: ita enim haec conformavit:

Ut prope miraclo sub terras abdita coeli
Nubila dispicere et coelum videare videre.

quae cum nimia videretur audacia, Bernaysius scripsit:

Nubila dispicere et coelum ut videare videre et
Corpora miraclo sub terras abdita coeli.

hic cum alia displiceant, tum non satis perite Lambinum secutus particulam *et* in versu novissimo addidit, quod plane adversatur cum huius poetae tum aliorum consuetudini, id quod iam Lachmannus adnotavit ad lib. II, 502. Inprimis intolerandum, quod putide et praeter necessitatem *coeli* vocabulum ter repetitum legitur, abhorret hoc ab Lucretii quamvis festinantis arte. Lenissima autem mendorum correctio in promptu est:

Nubila despicere et *coeli ut* videare videre
Corpora *mirandi* sub terras abdita *caeno.*

nam cum rivulus aquae per strata viarum currens nec satis limpidus coeli nubila et sidera repercusso lumine reddit, poeta eleganter et facete dixit coeli corpora caeno abdita conspici. *Despicere*, in cuius locum Lachmannus *dispicere* substitui iussit, satis tuetur *despectus* v. 414. *Mirandus* Lucretius etiam alias ad eundem modum adhibuit, velut V. 1169: *Et magis in somnis mirando corporis auctu*, VI, 629.: *Extruditque simul mirando pondere saxa.*[5]) Atque idem vocabulum etiam restituendum infra IV, 460., ubi in libris est: *Cetera de genere hoc mirande multa videmus*, ubi Lachmannus pariter atque hoc loco *miracli* scripsit: at in librorum scriptura nihil aliud nisi *miranda et* delitescit, itaque transpositis verbis scribendum:

Cetera de genere hoc *multa et miranda* videmus.

Neque magis assentior Lachmanno, qui IV, 590.:

Ideo iactant miracula dictis
Aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne
Humanum genus est avidum nimis auricularum.

de Bentleii coniectura *nimi' miraclorum* edidit, cum potius *nimi' terricularum* scribendum sit.

IV, 542:

Nec similis penetrant auris primordia forma,
Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit
Et revorat raucum retro cita barbara bombum,
Et validis necti tortis ex Heliconis
Cum liquidam tollunt lugubri voce querellam.

v. 544. corrector codicis quadrati exhibet *vel reboat*, quod merito critici homines comprobaverunt, sed recte animadvertit Lachmannus tubam non magis reboare posse quam citharam lib. II, v. 28., itaque de coniectura scripsit:

---

[4]) Libri nihil variant, nisi quod in oblongo codice *coelum ut videare* scriptum est. Monacensis liber quid exhibeat, nescio.

[5]) Quod libro I, 726. de Sicilia insula dixit poeta:

Quae cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio visendaque fertur.

vereor ne labem aliquam contraxerit.

Et reboat raucum *regio* cita barbara bombum.

regio legendum esse scite intellexit, sed nondum locus persanatus, neque enim credo Lucretium sic simpliciter *regio cita* dixisse, potius requirebatur *regio rauco bombo cita*, quemadmodum infra v. 607.: *ergo replentur loca vocibus . . . sonituque cientur* scripsit. Minime autem ferri potest *barbara regio*, quod frustra tueri studet Lachmannus: nam ut concedam *tubam barbaram* dici potuisse, quoniam tragici Graeci *σάλπιγγα Τυρρηνικὴν* appellant, non tamen propterea etiam regio, quae tubae murmure resonat, barbara dici poterat: nam tubarum usus apud Romanos antiquissimus: neque in Lucretiano carmine decet interpretem ad eiusmodi artificia confugere. Gravius aliquod vitium hic delitescere certum est: scripserat poeta:

Et reboat raucum *regio taratantara* bombum.

in archetypo scriptum fuit RETROTARATANTARA (GI supra R), hinc orta librorum lectio *retro cita barbara*. Lucretius, ut solet, Ennium secutus est, qui ut tubae sonitum exprimeret, dixit:

At tuba terribili sonitu taratantara dixit.

Ceterum poterat poeta commode sexto casu uti: Et reboat *rauco* regio taratantara *bombo*, sed aurium iudicio ut consuleret, maluit quartum casum adhibere, insolentiore verborum traiectione admissa, cuius traiectionis aliud exemplum non memini me in Lucretii carminibus legere, sed scripsit ad eundem modum Virgilius Ecl. VII, 16.:

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Ovidius Met. VIII, 303:

Et cum Pirithoo felix concordia Theseus.

Propius etiam accedit, quod idem Virgilius Aen. III, 304. extulit:

Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras.

Graviter corruptus est proximus versus, ita ut vix liceat certam medicinam adhibere: plurimae propositae sunt coniecturae, quarum maximam partem recenset Lachmannus, sed mihi iam propterea videntur reiiciendae esse, quod critici ad unum omnes consentiunt, cycnos hic commemoratos fuisse. Sane Lucretius aliis locis poetarum more dulcem cycnorum cantum memorat, velut II, 505. *cycnea mele*, III, 7: *quid enim contendat hirundo cycnis*, quod proverbii instar est, item IV, 181. et 910. comparatione usus dixit:

Claridicis potius quam multis versibus edam,
Parvus ut est cycni melior canor ille,[6]) gruum quam
Clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.

At hoc loco, ubi de soni vi et natura agit, ubi non poetae, sed physiologi partes suscipit, debebat fabulis abstinere. Praeterea etiam Heliconis montis mentio cycnis haud quaquam conveniens est. Igitur multo mihi verisimilius videtur Lucretium cum tubae gravi sonitu lusciniae dulcem cantum composuisse, ac si licet coniecturae periculum facere, fortasse scribendum est:

Et *nece Dauliades moestae oris* ex Heliconis
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Graecos poetas hoc nomine lusciniam appellitavisse Thucydides auctor est II, 29.: *πολλοῖς δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ἐν ἀηδόνος μνήμῃ Δαυλιὰς ἡ ὄρνις ἐπωνόμασται*; dixitque Catullus 64, 13:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.

---

[6]) Sic distinguendum est, non ut vulgo, *canor, ille gruum*: pronomen enim rectius adhaeret cycnorum cantui, qui fabulis antiquis poetarumque carminibus satis fuit nobilitatus. Interpunctionem hoc loco non frequentat Lucretius, nec tamen desunt exempla, vid. V. 226. 251. 275. 328. 330.

quamquam Propertius II, 20. 5 Atticam dicere maluit:

Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis.

neque inepte Helicon commemoratur, siquidem Phocensium ager, in quo Daulis sita fuit, tam Parnassum montem quam Heliconis radices attingebat.

Leve vitium de medio tollam V. 45 :

Quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curae, quantique perinde timores!
Quidve superbia spurcitia ac petulantia? quantas
Efficiunt clades! quid luxus desidiaeque?

Neque enim *quantae acres curae* scripserat poeta, sed *cuppedinis acris*; nec minus vitiose stigmen v. 47. post *petulantia* ponunt, quum non intelligerent rectissime eodem inciso orationis *quid* et *quantas* consociari. Sed aliis quoque locis laborat verborum distinctio, quae passim a novissimis editoribus in deterius est reficta, velut Lachmannus libro VI extremo, ubi poeta dicit vel aedes sacras mortuorum corporibus repletas fuisse, Bernaysio probante edidit:

Nec iam religio divom nec numina magni
Pendebantur enim: praesens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturae remanebat in urbe.

particula *enim* ut priore articulo otiosa, ita convenientissima est alteri enuntiato, quod prioris rationem reddit: sed gravius multo argumentum est, quod *enim* nusquam apud Latinos tantopere a primore enuntiato removetur, nedum in novissimum locum reiicitur: Graecorum maxime inde ab Alexandri saeculo ea in re licentiam satis novi, apud Latinos nihil simile extat. nam Plautinus versus apud Varronem de L. L. VII, 68. aperte corruptus est, quod etiam Lachmannus concessit, qui ad Lucr. III, 790. versum emendare conatus est, sed Varronis quoque verba vitium contraxerunt. Hoc autem loco omnino revocanda est priorum editionum distinctio:

Pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat.

neque credo quemquam, ut Lachmanni rationem defendat, abusurum esse Thucydidis loco II, 52: *τά τε ἱερά, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν, αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων· ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅτι γένωνται εἰς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως.*

Sed redeo ad librum V, ubi quod legitur v. 153.:

Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
Dissimiles debent tenues de corpore eorum.

manifestum vitium contraxit, sed neque Lambini coniectura *tenues pro corpore eorum* satisfacit, multoque minus placet. quod Lachmannus commendavit *tenuest si corpus deorum,* sed corrigendum censeo: *tenues ceu corpora eorum.* Neque credo poetam scripsisse, quod V. 199. legitur:

Tanta stat praedita culpa,

sed *tantast ea* pr. c., quamquam Lachmannus idem hemistichium etiam supra II, 181. restituendum censuit. ubi rectius olim edebatur: *quae tantast praedita culpa*: neque enim haec sunt ad amussim revocanda. Lucretiani loci, quibus Lachmannus usus est, ut hoc dicendi genus tueretur, nihil probant, ibi enim *stare* proprie dictum: Varronis autem versus pariter corruptus, nam pro *stet* est *siet* vel potius *sit* scribendum:

Denique qui sit avarus
Sanus, cui si *sit* terrai traditus orbis,
Furando tamen, a morbo stimulatus eodem,
Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

Non assentior Lachmanno, qui V. 396. edidit:

Ignis enim superat et lambens multa perussit.

ubi in libris est *superavit et ambens*, sed corrector codicis quadrati *lambens:* at nimium hoc languet, nam de mundi incendio per Phaethontem facto poeta verba facit: mihi igitur videtur scribendum esse:

Ignis enim superavit et *amens* multa perussit.

quo vocabulo aptissime immanis ignis furor significatur, quemadmodum in Homeri Iliade O. 606. est *ὀλοὸν πῦρ οὔρεσι μαίνηται.*

In eodem libro V. 1158:

Quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
Aut morbo delirantes protraxe feruntur
Et celata in medium et peccata dedisse.

Lachmannus scripsit et celata *mala* in m. et p. d., sed dum numerorum legi prospicere studet, sententiae officit; nam non de malis, sed de malefactis celandis agitur; revocanda omnino est pristina lectio:

Et celata *diu* in medium peccata dedisse. *a diu*

quam Lachmannus ut solet Marullo tribuit: legiturque etiam in cod. Monac. *celati in.* Neque vero elisio longae syllabae admissa est, sed aphaeresis fit proximae vocalis, quae aphaeresis multo latius patet in latino sermone, quam vulgo existimant, inprimisque in caesuris versuum legitima est: verum haec accuratius persequar alias. — Monacensis libri quoniam mentio facta est, addo eius ope restituendum esse alium versum libri V, 1423.:

Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
Exercent hominum vitam belloque fatigant:
Quo magis in nobis ut opinor cura resedit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil laedit veste carere
Purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
Dum plebeia tamen sit, quae defendere possit.

Necessario scribendum:

At nos *nunc* laedit veste carere
Purpurea.

atque in Monacensi cod. legitur *nūc*, sed expunctum et supra *nil* adscriptum. Hoc enim dicit poeta: prisci homines nudi frigus tolerabant, cum vel pellibus carerent: nos non contenti plebeia veste purpuream desideramus.

V. 1007:

Tum penuria deinde cibi languentia leto
Membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
Illi prudentes ipsi sibi saepe venenum
Vergebant, nudant sollertius ipsi.

Versu paenultimo *imprudentes* correctum est in cod. Monacensi, novissimi autem versus emendatio parum prospere cessit Lachmanno, qui scripsit: *nunc se nudant sollertius ipsi:* non recte enim existimat haec coniungenda esse cum iis, quae supra leguntur: *contra nunc rerum copia mersat,* ita ut luxuria describatur, quae vel maximas opes exhauriat: at manifestum est Lucretium antitheto uti et in utraque verborum comprehensione priori sententiae contrariam inferri. Prisci aevi mores cum suo saeculo poeta confert: illi, inquit, penuria, nos nimia rerum copia laboramus: illi, cum herbarum sucos ignorarent, aliquando ipsi se veneno interimebant, nos, qui malas artes optime callemus, his fatum festinamus. Atque ita etiam priores interpretes hunc locum explicuerunt, sed quomodo verba sint in integrum restituenda non perspexerunt. Iam codex Monacensis emendandi conatum exhibet: in eo libro scriptum *nudant sibi soll. ipsi,* post correctum *nunc dant, sibi* adpunctum et supra additum *letum:* vo-

luit igitur quisquis haec adnotavit, *nunc dant letum sollertius ipsi* scribere, aliis autem placuit: *nunc dant aliis s. ipsi:* sed in utraque emendatione pronomen *ipsi* prorsus alienum, quod recte vidit Lachmannus; Bernaysius autem, qui scripsit: nunc dant aliis *sollertius ipsum,* clavum clavo trudit. Non satis attenderunt critici homines, quam vim habeat comparativi forma *sollertius:* non poterat Lucretius sui saeculi sollertiam in venenis faciendis et dandis componere cum prisci aevi hominibus, nam ab illis eiusmodi fraus et scelus omnino abhorrebat: igitur vocabulum, quod intercidisse numerorum lex arguit, id quod desideramus exemplum exhibebat: quare existimo haec dedisse poetam:

Nunc dant *Marsis* sollertius *ipsis.*

poterat in eandem sententiam *Colchis* s. *ipsis*, vel *Circe (Mede)* s. *ipsa* scribere, sed Romanum poetam domestico usum esse exemplo consentaneum est. Marsos enim satis constat incantationibus, herbarum sucis adhibendis omninoque magicarum artium scientia praeter ceteras Italorum gentes insignes fuisse: hinc etiam Marsum gentis auctorem a Circe genus deducere perhibebant. Inter magicas autem artes et veneficia arctissima intercedit necessitudo: itaque etiam Nursinorum, qui sunt in Sabinis, consimilis fuit fama: testis est Servius, qui Virgilii versum VII, 715: *Quos frigida misit Nursia* doctius quam verius interpretatus haec adscripsit: „Frigida autem aut revera aut certe venenosa, nocens. Gracchi namque ubique in contionibus suis Nursinos sceleratos appellaverunt: et scimus, amore Virgilium historiarum rem per transitum tangere.“ Nursini cum herbarum vires medicas bene nossent, pro veneficis habiti sunt, atque tam altas egit ea superstitio radices, ut etiam multis saeculis post Nursia quasi magicarum artium officina haberetur.[8]) Ipsius autem urbis nomen indicio est, unde huius superstitionis origines sint repetendae: videtur enim Nursia urbs a Dea Nortia nomen accepisse,[9]) quam constat inprimis Volsiniis in Tuscis religiose cultam fuisse. unde etiam Volsinii vel certe locus in quo deae fanum fuit, eodem nomine est appellatus, si fides est scholiastae Iuvenalis[10]). Nortia autem non magis est Tuscum nomen, quam Vertumnus, quamquam ita visum est O. Müllero (de Etr. II, 54.); nam Nortia dea est *Nevortia,* quae Graecis *Ἄτροπος* dicta est, quae etiam in speculo Tusco (Müller Mon. Art. Ant. T. I. t. LXI. 307) visitur, ubi *Athrpa* nuncupatur. Nortiae autem religio sicut Vertumni antiquitus et Tuscis et Sabinis fuit communis,[11]) unde clavi figendi mos ad mala averruncanda etiam ad Romanos est propagatus.

---

[8]) Vide quae dixit de ea superstitione Iacob Burckhardt, Die Cultur der Renaissance in Italien p. 533: „Auf dem Boden des Kirchenstaates, in der Heimath des h. Benedict, zu Norcia behauptete sich ein wahres Nest des Hexen- und Zauberwesens. Die Sache war völlig notorisch. Es ist einer der merkwürdigsten Briefe des Aeneas Sylvius aus seiner früheren Zeit, der hierüber Aufschluss giebt. Er schreibt an seinen Bruder: „„Ueberbringer dieses ist zu mir gekommen, um mich zu fragen, ob ich nicht in Italien einen Venusberg wüsste: in einem solchen nämlich würden magische Künste gelehrt, nach welchen sein Herr, ein Sachse und grosser Astronom, Begierde trüge. — Unter dem Gespräche fiel mir ein, dass in Umbrien im alten Herzogthum unweit der Stadt Nursia eine Gegend ist, wo sich unter einer steilen Felswand eine Höhle findet, in welcher Wasser fliesst. Dort sind, wie ich mich gehört zu haben entsinne, Hexen, Dämonen und nächtliche Schatten, und wer den Muth hat, kann Geister sehen und anreden und Zauberkünste lernen.““ — Weiter erfahren wir etwas von der Umgend Norcias durch den Nekromanten, welcher den trefflichen Benvenuto Cellini in seine Gewalt zu bekommen suchte: es handelt sich darum, ein neues Zauberbuch zu weihen, und der schicklichste Ort hierfür sind die dortigen Gebirge. — Aretino sagt irgendwo von einem verhexten Brunnen, es wohnten dort die Schwester der Sibylle von Norcia und die Tante der Fata Morgana. Und um dieselbe Zeit durfte doch Trissino in seinem grossen Epos mit allem möglichen Aufwand von Poesie und Allegorie jene Gegend als den Sitz der wahren Weissagung feiern.“

[9]) Apud Iuvenalem X, 74. dea quae alias Nortia dicitur, in libris *Nursia, Norsia, Nyrtia, Nurtia* scribitur.

[10]) Ad Sat. X, 75.: „Fortunam vult intelligi poeta, quae apud Nyrtiam colitur, unde fuit Seianus.“ quem Volsiniis oriundum fuisse constat.

[11]) Varro de L. L. V, 74: „Paulo aliter ab eisdem *(Sabinis)* dicimus Herculem, Vestam, Salutem, Fortunam, Fortem (scr. *Fontem*), Fidem.“ cum Fortunam dicit, haud dubie Nortiam intelligit.

De vitio suspectus est locus lib. VI, 879:

Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
Stuppa iacit flammam concepto protinus igni,
Taedaque consimili ratione accensa per undas
Conlucet, quocunque natans impellitur auris.

Fontem prope Dodonam dici recte adnotaverunt interpretes: cf. Plin. Hist. Nat. II, 228: „In Dodone Iovis fons cum sit gelidus et immersas faces extinguat, si extinctae admoveantur accendit. Idem meridie semper deficit, qua de causa *ἀναπαυόμενον* vocant." sed mirum videtur, quod poeta locum illum non aperte nominaverit, quemadmodum alias solet: non credo hoc ipsum Lucretium commisisse, qui scripserat opinor:

Frigidus est etiam *Tomaro* (sive *Tomari*) fons, quem sita *supra*
Stuppa iacit flammam.

Tomaro cum librariorum negligentia intercidisset, corrector aliquis pro arbitrio versum redintegrare conatus est: ac *saepe* quod adiecit satis languet, cuius loco in cod. Mon. a principio *semper* legitur.

VI, 906:

Quod superest, agere incipiam quo foedere fiat
Naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia fit patriis in finibus ortus.

Iure Lachmannus novissimo versu importunam correctionem *quia sit*, reiecit, sed quod ipse refinxit *ortu*, vitium magis occultavit, quam removit: scribendum enim est:

Magnetum quia fit patriis in finibus *fortis*.

antiquitatem verborum qui sectantur, fortasse *forctus* praeoptaverint: ego teneo usitatam vocabuli formam. Est autem haec vox satis commode adiecta: nam non eadem omnibus generibus lapidis Magnetis virtus. Plinius Hist. Nat. XXXVI, 128, ubi quinque huius lapidis genera recenset, Aethiopicum, e Magnesia Macedoniae contermina, Hyettium e Boeotia, quartum circa Alexandriam Troadis, quintum denique e Magnesia Asiae, dicit differentiam primam esse, mas sit an femina: iam cum lapidem qui in Troade inveniatur feminei sexus ideoque sine viribus esse affirmaverit, deterrimumque dixerit lapidem ex Magnesia Asiae, quem ferrum attrahere negat, tria genera, quae praeterea enumeravit, virilis sexus et fortia esse satis superque significat: nam apparet quinque illa genera magnetis secundum dignitatem suam esse enumerata: itaque Aethiopicum primum obtinet locum: nam huic ipse Plinius auctor est summam laudem dari pondusque argento rependi. Suo igitur iure Lucretius *fortem* appellavit lapidem ex Magnesia Thessaliae: hanc enim, non Asiae urbem dicit, quod satis docet *patriis* in finibus: consulto enim hoc adiecit poeta, haud aspernatus eiusdem vocabuli repetitionem, ut Thessalos Magnetas ab Asianis discerneret: rectiusque a Thessaliae civitate repetit nominis originem, quam graeci grammatici, qui ad Asianam urbem referre solent, quamvis lapis ibi inventus deterrimus fuerit, id quod iam Buttmannus in eximia commentatione de lapide Magnete (in Museo Antiq. II. p. 43 et 46.) animadvertit. Ceterum a Lydiaca Magnesia lapidem dictum esse vulgo credebant, unde etiam lapis Lydius a Sophocle vocatur,[12])

---

[12]) Sophocles Fr. 728: *Λυδία λίθος σίδηρον τηλόθεν προσηγάγου.* At Euripides in Oeneo 571 Magnetem appellans dixit lapidem, qui argenti similitudine fallit homines, de quibus versibus acutissime et verissime disputavit Buttmannus, nisi quod non recte puto virum summum *τὰς βροτῶν γνώμας κλοπεύων* scripsisse, ut vitiosum *σκοπῶν* expelleret. Equidem censeo locum sic esse refingendum:

τὰς βροτῶν
Γνώμας ἐπισπῶν, ὥστε Μαγνῆτις λίθος
Τὴν δόξαν ἕλκει καὶ μεθίστησιν πάλιν.

sed fortasse etiam Magnetes ad Sipylum origines suas repetebant a Thessalis, quemadmodum Magnetes ad Maeandrum.

Haec iam dudum typographo tradita fuerunt, cum comperi Herm. Sauppium in novissimo prooemio lection. Gotting. de Lucretii codice Victoriano sive Monacensi, cuius codicis saepius supra mentionem feci, uberius disputavisse. Nactus hanc commentationem vidi etiam Sauppium attigisse Lucretii locum V., 1007., ubi item Lachmanni sententiam improbavit, sed ad comparativi vim neque Sauppius attendit, atque quod legendum commendavit *nunc dant aliis sollertius isti* vel alio nomine reiiciendum est. Lucretianus sermo quamvis inaequalitate quadam sit insignis, tamen hic poeta iure suo nusquam adhibuit pronomen *iste*, minimeque verisimile est hoc loco, a quo illud vocabulum plane abhorret, semel usurpatum esse. Lubet autem epimetri loco de Monacensi libro nonnulla addere, quantum et temporis et loci augustiae permittunt.

Lachmannus quemadmodum lectiones omnes codicis Laurentiani confidenter Antonio Marii filio tribuit, quoniam H. Keilius, qui istum librum contulit, adseverabat se illius notarii Florentini manum agnovisse, ita non minus confidenter emendationes, quas editio Iuntina exhibet, Michaeli Marullo vindicavit, quoniam Petrus Candidus, qui illam editionem curavit, dicit se Marulli opera usum esse; neque deterritus est Lachmannus ab ista coniectura eo, quod multi loci iam similiter in editione Aldina correcti sunt, sed ut suam suspicionem tueretur, insimulavit Hieronymum Avantium, qui Aldinam curavit, quem doctum et criticae artis haud ignarum fuisse satis aliunde constat, mala fraude usum Marullo emendationes permultas subripuisse.[13]) Dicit sane P. Candidus se in recensendo Lucretiano carmine potissimum Marullum secutum esse, at idem profitetur se etiam Ioviani Pontani opera adiutum esse, itemque vetusta exempla, quae Florentiae erant, adhibuisse, atque ipsum quoque Candidum aliquid egisse consentaneum est: igitur apparet, quam infirma sit Lachmanni suspicio, qui omnem editionis Iuntinae lectionem uni Marullo vindicat. Ipse Lachmannus, quamquam haud pauca reiecit, tamen plurima praeclare ab eo emendata esse confitetur, eaque ipse recepit; haec si ita, ut Lachmanno videtur, se haberent, Marullus homo Graecus, qui patria a barbaris eversa in Italia domicilium collocavit, quique inter aequales suos potissimum latinorum carminum insigni arte clarus fuit, inter principes criticae artis foret referendus: at vana maxima ex parte illa est laus, quam Lachmannus Marullo vindicare aggressus est: valde ille delectabatur egregio hoc carmine, naevos, ut poterat, abstergere studebat, et nonnulla primus, ut videtur, recte emendavit, sed pleraeque emendationes, quas Marullo tribuit Lachmannus, aut ab Italis iam ante Marullum sunt factae aut ex Poggiano exemplo repetendae.

---

ut Euripides activa forma verbi pro media sit usus: dicit enim de subdolis moribus hominis, qui honestatis specie aliorum mentes sibi facile conciliabat, neque vero eosdem, postquam ipsius ingenium introspexerant, in amicitia valebat retinere: ἐπισπῶν igitur cum brevitate insigne sit, comparatione addita illustratur: vel sic tamen ambigua poterat oratio videri, ac vel Plato deceptus est, qui existimavit Euripidem de lapide ferrum trahente verba facere: sed falsa haec interpretatio Platonis satis purgatur, si tenemus id, quod modo proposui, tragicum scripsisse ἐπισπῶν. Infelissimo conatu Nauckius ἐπωπῶν scripsit, litterarum quandam similitudinem sectatus, de sententia instituta securus.

[13]) Quam iniquo animo in Avantium fuerit Lachmannus inprimis docet adnotatio lib. III., v. 98, ubi supplementa, quae in Aldina pariter atque in Iuntina leguntur, Avantium de Marulli exemplo descripsisse arguit: at Marulli opera, si Petro Candido fides habenda est, (neque video quidquam causae, cur hac in re ei auctoritatem abrogemus) potius in versibus noviciis adpungendis, quam in interpolando carmine Lucretiano fuit posita: isti versus, de quibus agitur, neque Marulli neque Avantii sunt, sed ex libris noviciis in Aldinam aliasque editiones veteres propagati. Ne mendacii quidem Avantius homo honestus arguendus videtur, qui professus sit, se sine antiquo exemplari Lucretii poemata emendavisse; nam Poggianus liber cum evanuisset, acquiescendum erat in noviciis apographis; haec autem ut par est Avantius adhibuit, quemadmodum alii omnes.

Atque Marulli laudem arctioribus finibus circumscribendam esse, quam Lachmanno visum est, etiam Sauppius concessit, sed quod contendit, codicem Victorianum aliquando Marulli fuisse, et *quaecunque in eo codice manu recentiore correcta animadvertamus, Marullum correxisse*, haec quamquam subtiliter et apte ad persuadendum disputata sunt, mihi tamen non probavit, iisque continuo obviam ibo, non adversandi studio ductus, a quo alienus sum, sed veritatis tuendae gratia, ne alii hac opinione decipiantur, quam praevideo probaturos esse, qui in Lachmanni verba iurare solent, quandoquidem ab illa sententia se iam deiectos esse sentiunt. Nec tamen licet in hoc epimetro rem plenius pertractare, itaque summam paucis absolvam.

Marullus quid contulerit ad Lucretium emendandum tantum ex iis, quae P. Candidus significavit, vere aestimari potest. Et primum quidem versus subditicios, qui tunc ferebantur, adpunxit, quamquam in ea re etiam Pontani fuerunt partes: quos versus singillatim obelo notaverit, tum demum apparebit, ubi praeter Iuntinam etiam priores editiones diligenter fuerint examinatae: unum locum indicavit P. Candidus: delevit enim II, v. 42 et 43., satis pro arbitrio; nam ii versus, si qui alii, germani sunt, sed foede corrupti, necdum in integrum restitui: volebam de his versibus disputare, sed alii necessitati academicae reservavi. Quod Lachmannus dicit Marullum identidem versus a se fictos Lucretiano carmini inseruisse, omni fide destitutum est.

Tum Marullus versibus traiectis iustam orationem restituere conatus est: testatur autem Candidus in plerisque locis, ubi talem medicinam adhibuerit, se Marulli iudicium secutum esse. Atque plane quidem consentit editio Iuntina cum codice Monacensi in traiiciendis versibus libri I, 550. sqq., id quod videtur Sauppii coniecturam, istum librum olim Marulli fuisse valde commendare: sed cavendum est, ne quis fallaci specie decipiatur: haec enim traiectio, id quod fugit Sauppium, ab antiqua manu [14]) profecta est: haec igitur manus si Marulli est (sive aequalis hominis, qui Marulli emendationes in suum exemplum transtulit), non iam poterunt eiusdem Marulli esse plurimae emendationes, quae passim a recentiore manu factae sunt: apparet igitur, quam instabili fundamento nitatur Sauppii suspicio. Et hanc quidem traiectionem planissime Marullo tribuit P. Candidus: sed potuit is errare; reperit in Marulli libro [15]) hunc locum correctum, et cum in nullo suorum codicum eius emendationis vestigium compareret, ad Marullum auctorem retulit; sed poterat ille haec ex alio libro in suum exemplum propagare: unusquisque intelligit, quam in proclivi hic fuerit error. [16]) Certius hoc quoque

---

[14]) In Iahnii Annalibus 1861 p. 318, ubi de hoc loco disputavi, scripsi: „und zwar alles von alter Hand: der Abschreiber hat auch hier nur die alte Handschrift sorgfältig copirt.“ neque credo me falsa specie deceptum esse, quamquam difficillimum est varias manus, quas ille liber expertus est, ubique dignoscere.

[15]) Lucretianum carmen a Marullo castigatum utrum liber manuscriptus fuerit an impressus, ambigi potest: P. Victorius certe Marulli emendationes depromsit ex editione vetere, quam Marullus adnotationibus instruxerat. Fatendum tamen est, homines elegantiores, qualis Marullus fuisse videtur, etiam illo saeculo libris manuscriptis, qui externo cultu commendabantur, multo libentius esse usos, quam impressis. At codex Victorianus nihil commendationis habet ab externa specie, et rudibus correctorum manibus magis magisque obsoletus est, ut vel hoc nomine eleganti homine haud dignus videatur.

[16]) Ego conieci haec ex antiquo Poggii libro propagata esse, mihique visus sum reliquias recensionis Probianae deprehendere, sed non integras: nam haec quicunque adnotavit, a philosophiae studiis haud alienus fuit: is igitur, cum animadvertisset, non satis recte poetae philosophi orationem procedere, versibus traiiciendis vitium de medio tollere studuit: verum ea ratio, quae in margine codicis Victoriani significata est, malo non medetur, sed difficultates loci adauget: itaque existimavi illam adnotationem, non ut oportebat, integram esse servatam. Qui Marullo aut Italo alicui saeculi XV. tribuere mavult, is certe confitebitur, inchoatam tantum esse loci emendationem, non absolutam, aut correctorem codicis Victoriani non satis diligenter transtulisse in hunc librum, quae in alio exemplo adnotata erant. Sed non licet hic de notis criticorum plura disserere, illud tantum addo, recte Sauppium expedivisse notam, quae adscripta est ad II. 578., IV, 1073. et V. 1117 seqq., vidit enim esse nihil aliud nisi ω, cui superimposita est P, i. e. ὡραῖον, qua nota grammatici utebantur et librarii, ut locum sententiarum vel verborum luminibus insignem notarent. Atque ipse quoque postea hoc agnovi, et notam huic adiunctam X, quam iam olim suspicatus eram nihil aliud esse, quam X et P, h. e. *Χρήσιμον*, idem plane significare intellexi, cum librum septimum An-

tum demum diiudicari poterit, ubi traiectiones, quae sunt in Iuntina factae, et cum codice Victoriano et cum prioribus editionibus examinatae fuerint. Unum tamen non possum silentio praetermittere, quoniam et per se memoria dignum est et planissime Sauppii suspicionem evertit, neque ab iis qui codicem Victorianum usurpaverunt videtur esse animadversum.[17]) Codex enim Victorianus solus iusto ordine exhibet libro IV. locum antiquitus archetypi schedae paginis inversis perturbatum: nam post v. 298. *Atque ea* continuo sequuntur v. 323. *Servet* .... 347 *Ac resilire*, tum v. 299. *Splendida* .... 322 *Quae sita sunt*, denique v. 348. *Quod contra*. Hoc igitur insigne est virtutis documentum, atque possit aliquis inde colligere, librum Poggianum ex archetypo descriptum esse, antequam illae paginae archetypi inversae sunt: quamquam alia haud improbabilis explicatio in promtu est. Iam errorem illum animadvertit corrector alterius Leidensis et iustum ordinem revocavit[18]), quemadmodum etiam Lambinus postea suopte ingenio haec in integrum restituit: Itali autem correctores, cum aliquid turbatum esse intellexissent, alius aliter traiiciendis versibus vitium procurare studuerunt: Aldina enim hic quoque a Iuntina discrepat, estque ordo versuum, quem Aldina exhibet, minime commodus. Iam corrector codicis Victoriani eundem ordinem, quem Iuntina exhibet: haec cum animadvertissem, in schedis meis adnotavi, videri hunc ipsum codicem Marulli esse; deveni igitur in eandem suspicionem, quam Sauppius tuetur, quamque etiam Christius aliquando fovit, sed postea abiecit: atque ego quoque continuo abieci cum propter alias permultas rationes tum huius ipsius loci conditione accuratius examinata. Eum enim ordinem versuum, quem solus Victorianus codex a prima manu exhibet, iustum esse, non poterat latere virum prudentem et sagacem: itaque Marullus, si Victoriano libro esset usus, abstinuisset a vano traiiciendorum versuum conatu: manifestum igitur est, correctorem imperitum, qui magis aliena auctoritate quam suo ingenio sapiebat, Marulli correctiones sive ex illius libro sive ex ipsa editione Iuntina[19]) in codicem Victorianum transtulisse atque ita locum integerrimum corrupisse. Haec si recte disputata sunt, (atque ita ratiocinatus sum statim, cum usurpavi illum codicem,) plane iam concidit Sauppii suspicio, olim Marulli hunc fuisse librum, ipsius manus diligenter emen-

---

thologiae Palatinae examinarem, in quo saepius eaedem hae notae reperiuntur, velut VII, 630 Antiphili epigrammati addita est utraque nota, quae quid significarent Iacobsius recte perspexit; sed multo saepius ibi cum nota ὡραῖον copulatur σμ (i. e. σημείωσαι) velut VII, 552. 710. (ubi iure Erinnae carmini praemittuntur), item 712. (ubi bis in margine leguntur hae notae, qui locus documento est, has adnotationes ex antiquiore exemplo repetitas esse, nam extrema pars epigrammatis in Palatino libro satis corrupta legitur, ut potius adscribi potuerit quemadmodum aliis locis ἔσφαλται καὶ ἔστιν ἀδιανόητον, sed is, qui ὡραῖον addidit, etiamtunc integrum legit epigramma); aliis autem locis solum ωΡ extat, velut VII, 698. extr. 715. 743, cf. etiam Cobetum Var. Lect. p. 294. Ceterum quod Sauppius has notas in Lucretio a Marullo adhibitas esse propterea censet, quod in codicibus Leidensibus nullum extat vestigium, huius argumenti satis leve est momentum: nam cod. Victorianus multa habet peculiaria, quae ex archetypo sunt repetenda, non ex Italorum curis.

[17]) Ea, quae Spengelius in Nunt. Monac. exposuit, non potui inspicere.

[18]) Lachmannus censet, ex coniectura haec restituta esse, videnturque ipsa correctoris verba hoc firmare: non tamen dissimulabo mihi secus videri: quemadmodum recte, ut opinor, Lachmannus oblongum censet eo ipso tempore, quo scriptus est, archetypo denuo adhibito emendatum esse, ita credo etiam correctorem quadrati alio exemplo usum esse, quod et ipsum ex archetypo propagatum integritate praestabat quadrato: nam non solum memorabile est, unum ex correctoribus quadrati (idemne an diversus sit, nescio) ad L. V. 927. haec adscripsisse: „*Desunt versus* 62. *Nisi traiecti. Sed habes folio penultimo*“ ubi iure suo Lachmannus animadvertit p. 8. haec illum sine alio libro scribere non potuisse; sed etiam correctiones plurimae ita sunt comparatae, ut non ingenio quaesitae, sed veteris et probi exempli auctoritate niti videantur, itaque ipse Lachmannus non dubitavit permultis locis sequi. Etiam quod corrector IV. 543 *vel reboat* scripsit, indicio est, emendationem ex alio libro petitam esse. Et haec quidem iam olim eram suspicatus, postquam autem codicem Victorianum usurpavi, hanc sententiam planissime confirmari intellexi: nam suppeditat hic liber multas lectiones a prima manu, quas in quadrato corrector restituit, quem Lachmannus ad saeculum XV. refert: hic autem consensus unde repeti possit, nisi ex archetypo non video.

[19]) De hac enim re ambigi potest: unum hic notabo; Marulli emendationes, quas Victorius enotavit, in Iuntinam non sunt receptae, una autem ex his tribus (IV, 1191.) in Victoriano a correctore restituta est, videtur igitur ipsius Marulli exemplo usus esse.

datum. Immo hic ipse locus argumento est, nullum Italorum, qui Lucretii carmina recensuerunt, hoc libro usum esse; at qui relegit et adnotavit hunc librum, is et hic et aliis plurimis locis Italorum correctionibus usus est.[20])

Verum dum difficultates expedire conor, video me in aliam satis gravem difficultatem incidisse: nam si Poggianum exemplum, unde et hic Victorianus codex et ceteri Italorum libri propagati esse existimantur, ad archetypi fidem hunc locum integrum servavit, qui tandem potuit fieri, ut in reliquis apographis similes turbae existerent atque in Leidensibus, solus Victorianus veritatem testificaretur. Haec enim communi origini Italorum librorum plane videntur adversari, nec tamen ullo modo probabile, duo diversa exempla in Italiam translata esse. Mihi quidem videntur iam in ipso archetypo schedae illius paginae inversae fuisse, sed librarius errore animadverso haud dubie adnotatione iustum ordinem indicavit: Leidensium codicum scriptores hanc adnotationem neglexerunt, hinc ortae illae turbae, quas quadrati corrector composuit, alio meliore exemplo usus, vid. supra p. XIV. Exemplum Poggianum[21]) archetypum fideliter descriptum exhibuit, paginis inversis sed adnotatione, quae moneret lectorem, addita: hac adnotatione usus scriba codicis Victoriani[22]) iustum ordinem restituit,[23]) cetera apographa admonitione neglecta, quemadmodum codices Leidenses, versus confusos exhibent. De his quoque licebit certius iudicare, ubi et veteres editiones et codices Itali diligenter fuerint collati.

Denique Marullus locos depravatos coniectura restituere conatus est. Quod si quaeritur, quid Marullus praestiterit, eae tantum coniecturae sub examen vocandae sunt, quas vel P. Candidus nominatim Marullo tribuit vel P. Victorius ex illius libro excerpsit. Hae autem lectiones, si volumus libere fateri, pleraeque non adeo magni sunt momenti, partim ex codicibus sunt petitae;[24]) ea, quae ipse suopte periculo correxit, documento sunt Marullum quamvis natione Graecum, latinarum litterarum bene gnarum fuisse, quamquam eruditione passim abutitur; ingenii autem praecellentis acumen desidero, nec potest cum principibus Italorum criticis componi. Inprimis autem illud mentione dignum, quod Lachmannus, qui plurimas et optimas lectiones ex editione Iuntina asciverit, quas ex praecepta opinione Marullo vindicavit, ex duodeviginti lectionibus, quas Candidus nominatim Marullo adscripsit, nullam recepit, quae quidem ex coniectura profecta est, non librorum auctoritate nititur; Lachmanno igitur invito veritatis confessionem excidere videmus.[25]) Credo omnia haec, quae Marulli nomen prae se fe-

---

[20]) Etiam lib. V, 581—86. Victorianus iustum versuum ordinem exhibet, quem in quadrato restituit corrector, nec tamen utar hoc loco, cum in Victoriano quoque corrector medicinam adhibuerit, neque tamen cum lectione Iuntinae prorsus consentit, nam v. 586 sic scriptus est: *Quanta quoque est nobis hinc tanta videtur imago.*

[21]) Subnata autem est suspicio Lucretii librum, quem Poggius tandem postliminio in patriam restituit, ipsum illud archetypon fuisse, unde reliqui codices originem ducunt. Recuperavit autem ut probabili ratione evicit Bernaysius circa annum MCCCCXVII ex Alamannia, fortasse ex bibliotheca Sangallensi: neque dubium, quin ille codex libros integros comprehenderit: ipse sane Poggius in oratione funebri Nicolai, qui diem supremum obiit MCCCCXXXVII, dicit se partem tantum Lucretii attulisse, sed, ut recte Lachmannus animadvertit, videtur Varronis loco deceptus (V. 14.) putasse longe amplius fuisse carmen: atque quae in epistola anno ut videtur MCCCCXXVII ad eundem Nicolaum scripsit (v. Bernays. Mus. Rhen. V. 555) ostendunt, eum illo ipso tempore alius codicis acquirendi spem fovisse, quam monachus Hersfeldensis videtur fecisse: haud dubie ille monachus indicaverat in Germania vetustum librum Lucretii adservari, fortasse Magontiaci, unde oblongus codex Lugdunum pervenit. Sed hic quoque dolendum est librum Florentinum, qui ipsius Nicolai manu scriptus esse perhibetur, nondum examinatum esse.

[22]) Ceterum nequaquam necesse est, ex ipso Poggii libro Victorianum descriptum esse, sed multo verisimilius hunc exempli inde deducti esse apographum; sed brevitatis causa Victoriani libri scriptorem dixi.

[23]) Alias sane non eadem circumspectione ea quae in Poggiano libro correcta erant usurpavit, sed tamen plerumque fideliter exemplum antiquum descripsisse videtur.

[24]) Libro videtur usus esse, qui ad Victorianum prope accessit, nam cum prima manu huius libri Marulli lectiones saepius consentiunt.

[25]) Non tamen dissimulandum ex tribus coniecturis Marulli, quae postea demum ex Victorii excerptis innotuerunt, unam a Wakefieldo (VI, 568.), aliam ab ipso Lachmanno (IV, 1191.) esse propositam.

runt, ab ipso esse inventa, credo eum etiam multos alios locos coniecturis restituisse, nam nemo facile existimabit P. Candidum ubique Marulli mentionem fecisse, quando eius emendationes recepit: sed consentaneum est has coniecturas illarum adsimiles esse: verum quod nusquam Marulli memoriam reperimus, ubi locus aliquis corruptus egregia arte in integrum restituitur, id vix quisquam casui tribuerit: hos locos P. Candidus ope vetustorum, quae appellat, exemplorum emendavit, hoc igitur acceptum referimus aut libri Poggiani virtuti aut Italorum ingenio.

Hae Marulli correctiones maxima ex parte etiam in codicem Victorianum sunt translatae, qui liber ut est varias variorum manus expertus (quod quicunque illum codicem oculis usurpavit concedet,) insignem farraginem variarum lectionum suppeditat, ob id ipsum eius auctoritas valde est incerta. Nullo igitur pacto licet quidquid a recentiore manu in hoc libro adnotatum est, Marullo tribuere. Quod si Marullo, cuius memoriam paene intermortuam viri clarissimi Lachmannus et Sauppius nuper instauraverunt, laudem, quam non est meritus, rursus detraximus, fecimus hoc germano veritatis indagandae studio ducti; erit ille quidem inter eos referendus, qui Lucretii carminibus emendandis operam navaverunt, sed cavendum est, ne aliis, quorum nomina invida aetas plane obscuravit, iniuria fiat: Antonii autem Marii filium, quem Lachmannus Marullo comitem addidit, ex criticorum numero relegandum censemus, donec locupletum testium auctoritas evicerit, quo nomine notarius ille Florentinus de Lucretianis carminibus sit promeritus.
